



CONSPECTUS OPERUM ÆTHIOPICORUM

Quæ ad excudendum parata habet

R. P. Fr. JOAN. MICHAEL VANSLEBIUS

ERFORDIENSIS THURINGUS. ORD. PRÆD.

Filius Conventus Romani S. Mariæ ſuper Minervam.

Illuſtriſsimo Domino, D. JOANNI BAPTISTÆ COLBERT, *Regi ab intimis Conſiliis, & Secrètis; Generali Ærarij Moderatori, Summo Regiorum Ædificiorum Præfecto, Regiorum Ordinum Quæſtori, Marchioni de Seignelay* EXHIBITUS.



PARISIIS,

E TYPOGRAPHIA REGIA.






Fr. JOAN. MICHAEL VANSLEBIUS, Erfordienſis Thuringus, Ord. Prædicatorum, & Filius Conventus Romani S. Mariæ ſuper Minervam, degens modò Pariſiis, in Conventu FF. Prædicatorum, in vico S. Honorati, attulit ſecum Româ nonnulla Opera Æthiopica Manuſcripta, & Prælo parata, quorum Catalogus ſequens eſt.

I. LIBER SYNODORUM: Complectens I. *Epiſtolam Zera Jacobi Regis Æthiopiæ*, ad Monachos Abiſſinos, Hieroſolymis tunc temporis degentes, ad quos hunc librum mittebat, vt illum ſingulis Sabbatis in ſua Congregatione legerent. Vixit autem hic Rex *Zera Jacobus* circa A. Chr. 1437. tempore quo habitum eſt Concilium Florentinum, eſtque ille qui cupiebat Eccleſiam Æthiopicam reconciliare Romanæ, miſitque eâ causâ Legatos ad Pontificem Eugenium IV. qui & eidem ſcripſerat. Quarum literarum ſumma extat in Relatione Damiani à Goes de Æthiopum moribus, inſerta Tomo II. Hiſpaniæ illuſtratæ, fol. 1298. & apud alios.



Fr. JOAN. MICHAEL VANSLEBIUS, Erfordienſis Thuringus, Ord. Prædicatorum, & Filius Conventus Romani S. Mariæ ſuper Minervam, degens modò Pariſiis, in Conventu FF. Prædicatorum, in vico S. Honorati, attulit ſecum Româ nonnulla Opera Æthiopica Manuſcripta, & Prælo parata, quorum Catalogus ſequens eſt.

I. IBER SYNODORUM: Complectens I. *Epiſtolam Zera Jacobi Regis Æthiopiæ,* ad Monachos Abiſſinos, Hieroſolymis tunc temporis degentes, ad quos hunc librum mittebat, vt illum ſingulis Sabbatis in ſua Congregatione legerent. Vixit autem hic Rex *Zera Jacobus* circa A.Chr.1437. tempore quo habitum eſt Concilium Florentinum, eſtque ille qui cupiebat Eccleſiam Æthiopicam reconciliare Romanæ, miſitque eâ causâ Legatos ad Pontificem Eugenium IV. qui & eidem ſcripſerat. Quarum literarum ſumma extat in Relatione Damiani à Goes de Æthiopum moribus, inſerta Tomo II. Hiſpaniæ illuſtratæ, fol. 1298. & apud alios.

II. *Constitutiones Apostolorum S. Clementis Romani*, septuaginta & vno solummodo Canonibus comprehensæ, quarum capita sunt sequentia:

1. Continet commemorationem nominum Apostolorum, qui in condendis his Constitutionibus convenerunt.
2. Agit de correptione illius qui loquitur ea quæ non decet. Item, De dilectione Dei, & proximi.
3. Ne id quod tibi non vis fieri, alteri feceris.
4. Continet enarrationem Præceptorum Decalogi.
5. Ut fideles ab ira, æmulatione, & indignatione sibi caveant.
6. Ne sis concupiscens.
7. Ne sis prava loquens.
8. Ne loquaris per signa, neque per observationes stellarum, neque per incantationes, & similia.
9. Ne sis mendax, neque auri, aut vanæ laudis cupidus.
10. Ut eum qui te Verbum Dei docet, tibique occasio vitæ est, honores, & alas.
11. Ne schisma facias, sed concilies eos qui inter se dissident.
12. Ut eleemosynas libenter facias.
13. De ordinatione Episcoporum.
14. De ordinatione Lectorum.
15. De ordinatione Diaconorum.
16. De Viduis.
17. De Diaconis, ut sint factores bonorum operum.
18. De Laicis.
19. Recordatio, quod Oblatio sit Corpus Christi.
20. Quod non deceat mulieres in Ecclesia genua flectere, sed stare. Item, De dilectione, & similibus.

39. De Primogenitis, & fructuum primitiis ad Episcopum deferendis, eorundemque nominibus.
40. Quod nulli hominum quidquam gustare liceat in jejuniis Paschæ.
41. Quod Diaconi obedire debeant præcepto Episcoporum.
42. De temporibus quibus fideles orationes facere debent.
43. Quod non liceat quidquam de Eucharistia gustare ante tempus debitum, & quod illam jejunè sumere conveniat.
44. Quod magna cura cavendum, ne quis alius præter fideles de SS. Mysterio sumat, neve quidquam de calice effundatur.
45. Quod Presbyteri, & Diaconi, quotidie ad Episcopum suum convenire debeant.
46. Ordo circa sepulturam mortuorum.
47. De temporibus quibus orandum, audienda Catechesis, & frons cruce signanda.
48. De Donis, & Charismatibus.
49. Quod Magistratus non debeat spernere suos subditos.
50. Quod non omnis qui prophetat famulus Dei sit.
51. Quod Episcopus, qui exigua eruditione præditus, & malevolus est, non sit verus Episcopus.
52. De ordinatione Episcoporum; & Ordo Missæ.
53. De ordinatione Presbyterorum, & Diaconorum. Item, De Diaconissis, Subdiaconissis, & Lectricibus.
54. De Confessoribus Christi.
55. De Virginibus, & Viduis, & de Exorcista.

56. Quod ordinandus Epiſcopus, à duobus, aut tribus Epiſcopis ordinari debeat.
57. Quod Epiſcopus benedicat, & non benedicatur, & quod expellere poſſit eum qui expelli meretur.
58. Quod Epiſcopus à ſolo Epiſcopo non poſſit expelli, & quo ordine Clerici ſibi invicem benedictionem dare debeant.
59. Quod reliquis Clericis Diaconorum opera facere non liceat.
60. De Primitiis, & Decimis.
61. Quid faciendum de oblationibus quæ ſuperant.
62. De illis qui ad Religionem Chriſtianam ingredi volunt.
63. De artibus, & operibus quæ relinquere debent illi qui Chriſtiani fieri cupiunt.
64. Idem cum præcedente.
65. De temporibus quibus fideles orare debent.
66. De diebus quibus fideles ſervis ſuis requiem concedere debent à laboribus.
67. Idem cum præcedente.
68. De temporibus orationum.
69. Quòd quando fideles propter perſecutiones in Eccleſia in vnum convenire non poſſunt; quiſque in domo ſua orare poſſit, vel in domo Epiſcopi.
70. De diebus quibus commemoratio defunctorum fieri debet. It. De juvandis illis, qui propter fidem in exilium mittuntur.
71. De Ordinibus ſacris, eorumque limitibus non tranſgrediendis.

Harum Conſtitutionum duas quoque habeo verſiones Arabicas diverſas, quarum vna exacté textui meo

Æthiopico respondet, estque ex Græco facta: altera verò divisa est in octo libros sicut Græcum exemplar Turriani, à quo tamen nihilominus in multis differt.

III. *Sunt* LVI. *Canones Apostolorum*, iidem qui ab Herveto, aliisque Græcè & Latine editi sunt, & ab illis vix differunt, nisi numero; illius enim 84. Canones, hîc sunt ad LVI. tantùm redacti. Horum Canonum habeo etiam duas diversas translationes Arabicas.

IV. *Sunt* LXXXI. *Canones Apostolorum*, iidemque quoad sensum cùm præcedentibus, solummodo quod longè diffusiores sint, & præcedentium quasi paraphrasis. Hi speciali nomine vocantur ab Abissinis ABTILISAT, habeoque eorundem duas diversas translationes Æthiopicas, & vnam Arabicam.

V. *Sunt eorundem Apostolorum* X. *Canones, De Ordinatione rerum Ecclesiasticarum.*

1. Est Præceptum Simonis Cananæi, De Ordine Sacerdotij.
2. Præceptum Apostolorum Matthæi, & Simonis; De Decimis, & Primitiis.
3. Præceptum Pauli, De tempore orationum.
4. Præceptum Apostolorum Petri, & Pauli; De requie servorum diebus debitis.
5. Præceptum Apostolorum, De observatione temporum, & horarum orationis.
6. Præceptum Pauli, & Jacobi Apostolorum; De commemoratione defunctorum facienda.
7. Eorundem, De modestia Clericorum in Agapis.
8. Eorundem, De exulibus propter fidem juvandis.
9. Præceptum Petri, & Pauli; De Ordine Clericorum invicem servando.

10. Præceptum

10. Præceptum Pauli, De illis qui ad fidem ingredi cupiunt, & quales eſſe, vel non eſſe debeant.

Horum Canonum habeo itidem duas diverſas tranſlationes Æthiopicas, & vnam Arabicam.

VI. *Sunt alij triginta Canones Apoſtolorum*, quibus præmittitur brevis Hiſtoria prædicationis Apoſtolorum, & quædam rationes ob quas eorundem Canones videri poſſint. Suntque eorundem capita ſequentia:

1. Quod Chriſtianorum Oratio verſus Orientem fieri debeat.
2. De Sabbato à Chriſtianis obſervando.
3. De Oratione quarta Feria facienda.
4. De Oratione ſexta Feria facienda.
5. De Prælatis conſtituendis.
6. De Presbyteris conſtituendis.
7. De Diaconis, Subdiaconis, & Lectoribus conſtituendis.
8. De Die Nativitatis Chriſti Domini celebrando.
9. De die Baptiſmi ejuſdem ſolenniter peragendo.
10. De Jejunio quadrageſimali obſervando, & de Paſchate celebrando.
11. De die Aſcenſionis Chriſti ſolenniter peragendo.
12. De lectione Scripturarum in Eccleſia ſuper pulpito facienda, & à populo ſtante audienda.
13. Eligendus Præſul qualis eſſe debeat.
14. Qualis non debeat Præſul eligi.
15. Idem cum præcedente.
16. Quinam à Prælatura removendi ſint.
17. Quinam item Diaconi & Subdiaconi ab ordine deponendi ſint.
18. Idem cum præcedente.

19. De iis qui ad fidem ingredi cupiunt.
20. Præſul qualem ſe gerere debeat in ſuo munere.
21. De commemoratione Martyrum in Eccleſia facienda.
22. De ordine Orationum.
23. De numero Clericorum.
24. De correptione, & excommunicatione Præſulis.
25. Idem cum præcedente.
26. De Chorepiſcopo eligendo.
27. De loco quo Imperator in Eccleſia ſtare debet.
28. De iis quæ Imperatorem in Eccleſia agere non licet.
29. De debito Prælatorum.
30. De Pane oblationis non aſſervando.

Sequitur deinceps prolixus Epilogus, in quo inter cætera denuò nonnullæ afferuntur rationes, ob quas veri Apoſtolorum Canones videri poſſint. Horum Canonum habeo quoque vnam verſionem Arabicam

VII. *Eſt* Epistola Petri *ad* Clementem.: In cujus prima parte variæ continentur, tum prohibitiones, tum exhortationes Petri ad Clementem.
2. Recenſentur Feſta à fidelibus celebranda.
3. Tractat de conſecratione Altarium
4. De ordine Altarium.
5. De Veſtibus Sacerdotalibus.

Hanc Epiſtolam Petri habeo quoque Arabicè.

De omnibus hactenus enarratis Canonibus hoc quoque obiter monendum duxi; quòd Abiſſini illos modò Synodos Apoſtolorum, modò Canones Apoſtolorum, modò ſpecialiter MENDA, item ABTILIS, & ABTILISAT, vocent.

Quantæ porrò iidem Canones ſint authoritatis apud eoſ-

dem Abissinos, intelligi potest ex Confessione fidei Zega Zeab, Legati DAVIDIS Regis Æthiopiæ ad JOANNEM III. Portugalliæ Regem, quam Latine edidit Damianus à Goes, Eques Lusitanus, & legitur Tom. II. Hispaniæ illustratæ, fol. 1303. vbi sequentia habentur: *Jam his enumeratis, erit nobis explicanda disciplina, & doctrina, & lex, quæ Apostoli in sanctis Synodorum libris, & Canonum, quos* MENDA, *&* ABTILIS *vocamus, nobis præceperunt. Sunt enim ij sanctæ Ecclesiæ legum libri octo apud nos, quos omnes Apostoli Hierosolymis congregati, scripserunt. De quibus habita inquisitione cum quibusdam Doctoribus, postquàm in Lusitaniam veni, neminem reperi, qui horum memoriam teneret.*

Quòd verò Zega Zeab octo librorum Canonum Apostolicorum hîc mentionem faciat, ego verò sex tantùm exhibeam, fit quòd reliquos duos nondum mihi videre in lingua Æthiopica contigerit; nihilominus habeo illos Arabicè, quorum vnus vocatur DIDASCALIA, id est, *Doctrina Apostolica*, XXXIX. Canonibus comprehensa; alter AHCAM IRROSSL, id est, *Judicia*, seu *Decreta Apostolorum*, in LI. Canones distincta. De quibus vix aliquid hactenus in Europa auditum est; neque enim reperiuntur in Bibliothecis Vaticana, & Christianissimi Galliarum Regis: libenter tamen ea omnia bono publico promovendo expromere cupio, si à me desiderabuntur.

VIII. *Sunt nonnulla Concilia, partim Universalia, & partim Provincialia*, videlicet:

I. *Concilium Ancyranum*, XXIV. Canonum.

II. *Concilium Neocæsareense*, XIV. Canonum.

III. *Concilium Laodicænum*, LIX. Canonum.

IV. *Concilium Gangrense*, XX. Canonum. Quæ omnia quoque Arabicè habeo.

V. *Concilij Nicæni* XX. Canones; cujus Concilij etiam duas versiones Arabicas habeo, vnam ex Copto, alteram ex Græco exemplari factam, cum *Historia Concilij Nicæni*, quam ABRAHAM ECCHELLENSIS jam olim Latinè edidit, & Parisiis excusa est.

VI. *Concilij Nicæni* LXXXIV. *Canones*; quorum rubricæ sunt sequentes:

1. Ne Demoniacus ordinetur.
2. De ordinatione servorum, quos ipsorum Domini castraverunt.
3. Ne recenter baptizati, statim ordinentur.
4. Ne Episcopi, & reliqui Clerici cohabitent mulieribus.
5. Ne Episcopi fiant in aliqua Provincia, vel loco, nisi voluntate Episcoporum illius Provinciæ.
6. Quod non oporteat excommunicatum suscipere.
7. De Synodo Episcoporum bis in anno apud Metropolitam habenda.
8. De Patriarcha Alexandriæ, reliquarúmque Provinciarum.
9. De ordinatione Episcopi facienda cum consensu Metropolitani.
10. De honore Archiepiscopi Hierosolymitani.
11. De probatione Clericorum antequàm ordinentur.
12. Ne Gentiles Christiani facti statim ordinentur.
13. Quòd Clericis non liceat pro lubitu ab Ecclesia sua discedere.
14. Est idem cum præcedente.
15. Ne quis fiat Monachus sine licentia Episcopi.

16. Ne Clerici exerceant vſuram.
17. Ne Diaconus communicet ante Preſbyterum.
18. Quòd omnes qui ex hæreſi Pauli Samoſateni ad Eccleſiam Dei revertuntur, iterùm baptizari debeant.
19. Quòd Moniales ex modò dicta hæreſi ad Catholicam fidem ſe convertentes, iterùm baptizari debeant.
20. Quomodo ſe gerendum cum Hæreticis qui ad fidem Catholicam revertuntur.
21. De iis qui Chriſtum abnegaverunt, & poſtmodùm ad fidem Catholicam ſe convertunt.
22. Ne fideles commercium habeant cum Veneficis, & Divinis.
23. De Matrimonio fidelium cum matribus ſpiritualibus.
24. Ne viri ſuſcipiant puellas in Baptiſmo, neve feminæ pueros.
25. Ne quis filio ſuo filiam ſuam ſpiritualem, & contra, in matrimonium det.
26. Ne quis duas vxores ſimul habeat.
27. Ne Preſbyteri aliquem à communione arceant ex ira.
28. Ne Preſbyteri ſuſcipiant ſponſiones.
29. Ne mulieres menſtruatæ ingrediantur Eccleſiam.
30. Quòd Preſbyteri non debeant oblationes accipere ab excommunicatis.
31. Ne Clerici ſint malevoli, aut iracundi.
32. Quòd non oporteat genua flectere in magnis Solennitatibus.
33. Quòd non liceat nomina Chriſtianorum miſcere in Baptiſmo cum nominibus Gentilium.

34. Quomodo Hæretici ſint ſuſcipiendi, cùm ad Eccleſiam Catholicam revertuntur.
35. Quomodo Hæretici Photiniani, Cathari, & Timotheiſtæ ſint ſuſcipiendi.
36. Quomodo ſint ſuſcipiendi illi Hæretici, qui S. Scripturas non immutarunt.
37. De numero Patriarcharum.
38. De diſceſſu Patriarchæ Epheſi.
39. De exaltatione Archiepiſcopi civitatum, id eſt, Seleuciæ.
40. Quòd non liceat Synodum facere in Provincia Perſidis.
41. De ſuperioritate, & ordine Patriarcharum.
42. Quòd Æthiopia ſpectet ad Herum Sedis Alexandrinæ.
43. De gradu Metropolitani Cypri.
44. De viſitatione Patriarchæ ſuarum Provinciarum.
45. Quòd Epiſcopi ſingulis annis bis convenire debeant ad ſuum Patriarcham
46. Idem cum præcedente.
47. De Clerico, qui criminis alicujus apud Synodum accuſatus, non ſe ſiſtit.
48. Quòd ad Synodum ſpectet conſiderare delicta Clericorum.
49. De ſententia Patriarchæ contra Epiſcopum.
50. De ſententia Patriarchæ contra Metropolitanum.
51. Quòd unus Epiſcopus non debeat ſolvere quod alter ligavit.
52. Ne hæreditate tranſmittantur Epiſcopatus.
53. Ne Clerici fiant ſimoniacè.
54. Ne in una Provincia reſideant duo Epiſcopi.

55. De uxore, quæ à marito ſuo aufugit.
56. Quòd Chriſtiani ex omni Religione uxores ducere poſſint, dummodò ad fidem Chriſtianam ſe convertant.
57. De electione Abbatis Monaſterij.
58. De viſitatione Abbatis Eccleſiarum, Monaſteriorumque ſuorum.
59. Quòd Abbas Monaſterij cum ſuis Clericis bis quotannis Metropolitam ſuum convenire debeat.
60. Idem cum præcedente.
61. Quo loco Metropolita in Eccleſia ſtare debeat.
62. Ne quis ſe exaltet in Eccleſia ſuper Epiſcopum, & Abbatem Monaſterij.
63. De deſcriptione ordinum Clericorum habenda, ne inter illos oriatur contentio.
64. De examine ordinandorum inſtituendo.
65. De Diaconis, ut orent abſque cingulis.
66. De numero Clericorum qui in unaquaque Eccleſia eſſe debet.
67. De Oeconomo, & Procuratore Eccleſiæ conſtituendo.
68. De commemoratione Metropolitæ in orationibus facienda.
69. De inceſſu Epiſcopi, & Archidiaconi ante funus Metropolitæ.
70. De Clericis repudiantibus uxores ſuas.
71. De recipiendis iis qui pœnitentiam egerunt pro ſuis delictis.
72. De pœnitentia illius qui duas uxores ſimul habet.
73. Ne quis filiam, aut ſororem ſuam invitam in matrimonium collocet.

74. De obſequio viri fidelis, mulieri infideli, & vice verſa.

75. De Xenodochio, & Hoſpitio peregrinorum erigendo.

76. De inſtitutione Epiſcoporum in ſuas Cathedras.

77. Ne quis Epiſcopus, aut alius Clericus de loco ſuo ad alium ſe transferat lucri cauſa.

78. Ne Laici ſibi eligant Preſbyterum, aut Monachi Abbatem inſcio Epiſcopo.

79. De Diaconiſſis.

80. De pœna Clerici, qui noluit acceptare procurationem Xenodochij.

81. Quòd Monachi, & cæteri Clerici diverſo à ſecularibus habitu debeant incedere.

82. De pœna delinquentis Epiſcopi.

83 De pœna delinquentis Preſbyteri, & Diaconi.

84. De procuratione infirmorum, & pauperum.

Hos Nicæni Concilij Canones Eccleſiam Romanam jam olim magna diligentia quæſiviſſe, eò quòd in illis de ipſius Primatu clariſſima teſtimonia reperiri noverat, Auctor Præfationis Novi Teſtamenti Æthiopici, Romæ Aº. 1548. editi, diſertè affirmat; cujus propria verba hîc apponemus: ea verò ſunt ſequentia. *Illud omninò tacendum non eſt, Æthiopum beneficio conſervatos fuiſſe ſanctæ Synodi Nicænæ Canones, quos Romana Eccleſia tanta diligentia perquiſivit, in quibus de Primatu Eccleſiæ Romanæ, etiam ex Decreto Apoſtolorum, ab illis doctiſſimis, & optimis Patribus clariſſimè, & apertiſſimè diſponitur.* Eſtque Canon iſte, in quo illud tam præclarum, de Primatu Romanæ Eccleſiæ teſtimonium habetur, trigeſimus-ſeptimus in ordine.

Eoſdem

Eoſdem Canones, multoſque alios in eodem Concilio ordinatos, prolixam inſuper Hiſtoriam Conſtantini Magni, habeo quoque Arabicè.

IX. *Sunt Reſponſa Canonica* PETRI MARTYRIS *Patriarchæ Alexandrini*, ad quatuordecim quæſtiones ipſi ab Epiſcopis, & Clero propoſitas, quæ tamen rectiùs Th. Balſamon in ſua collectione Canonum Timotheo, ejuſdem Urbis Epiſcopo adſcribit. Hæc non habeo Arabicè.

X. *Eſt Reſponſum Concilij Carthaginenſis ad quæſtionem Jubajani Epiſcopi, ſociorumque:* Utrum nimirum illi qui ab Hæreticis baptizati ſunt, cùm ad Eccleſiam Catholicam ſe convertunt, iterùm baptizari debeant. Eſtque idem cum illo quod reperitur in collectione Canonum Th. Balſamonis. Neque hoc habeo Arabicè.

Hæc omnia quæ hactenus enarravi, (præter Arabica) continentur in hoc libro Synodorum, cujus editionem exopto; eaque non ſolùm genuinè in Latinum converti, ſed & cum Codd. Æthiopicis Bibliothecæ Vaticanæ, & Florentinæ, meoque Arabico, exactè contuli, varias lectiones omnes notavi, hiatus ubi erant implevi, & cuncta notis illuſtravi.

Hujus libri gratia inter cætera Anno 1664. iter in Ægyptum ſuſcipiebam, eo fine, ſi fortè ibi, vel in Æthiopia illum acquirere poſſem, inſtructus ad hoc iter rebus neceſſariis à quodam Principe Germaniæ. Ex illo enim tanquam libro ab univerſa Eccleſia Æthiopica recepto, & approbato, ſcire cupiebam, utrum verum eſſet quòd Lutherani (quorum hæreſi tunc adhærebam) ſpargunt, Abiſſinos cum ipſis in dogmatibus fidei conſentire. Verùm cùm eum in Ægypto non in-

venirem, aditu autem in Æthiopiam propter graviſſima impedimenta prohiberer, & jam reverſus ad noſtros, LIBURNI commorarer, innotui Sereniſſimo Magno Duci Etruriæ FERDINANDO II. glorioſæ memoriæ, Principi dum viveret Optimo, literarumque Mecœnati, & Promotori Munificentiſſimo. Rogatus itaque ab ipſo fui, ut repetendo Patriam per Florentiam tranſirem, ipſumque viſerem. Quo benigno tanti Principis affectu motus, veni, ibique aliquot menſibus ſubſtiti. Cumque me frequenter de itinere meo, rebuſque Ægypti percontaretur, & aliquando ſermo de libris linguarum Orientalium incidiſſet, ipſeque percupidus eſſet videndi libros Arabicos, & Æthiopicos, quos ex Ægypto attuleram; hac occaſione data, petij quoque à Sereniſſimo Duce licentiam videndi ſuos libros, qui in Palatio veteri aſſervantur. Quo obtento, examinatiſque omnibus, offendi inter illos, etiam Librum Synodorum lingua Æthiopica exaratum; quo ceu præclaro theſauro reperto, incredibili lætitia afficiebar. Nihilominus cùm illum poſteà accuratius perluſtrarem, percepi in eo non eſſe Conſtitutiones Clementis, neque Reſponſa Canonica Petri Martyris, neque Reſponſum Concilij Carthaginenſis ad Jubajanum Epiſcopum, ſed Concilia ſolummodò quæ ſupra recenſui, & Canones aliquot Apoſtolorum, eaque omnia valdè mutila, & mendoſa. Ob quam rem poſtmodùm gaudium meum iterùm aliquantulum turbatum fuit.

Dein elapſis aliquot menſibus, cùm Romæ Bibliothecam Vaticanam eadem de cauſa inviſerem, reperi quoque ibi eundem librum, ſed nihilo accuratiorem, neque ullatenus auctiorem. Cùm igitur majori cura ſtudioque

ſcrutarer, quò alicubi correctiorem, & copioſiorem nanciſci poſſem; adeptus ſum tandem unum in Hoſpitio Abiſſinorum, in quo omnia erant quæ in Vaticano, & Florentino deſideraveram; complura inſuper alia, quæ modò enarrare non refert. Hunc ergo cum Abiſſinorum permiſſione deſcripſi. Eſt autem Archetypum hujus noſtri libri Synodorum.

Ex hujus porrò libri lectione, Divina favente gratia, manifeſtò didici, èſſe falſiſſimam Lutheranorum jactantiam, de concordia ipſorum cum Æthiopibus: quin immò hoc cognovi, Eccleſiam Æthiopicam (antiquam tamen, & antequam ab Eccleſia Romana defecerat) in omnibus ferè fidei articulis unum idemque ſentire cum eadem Eccleſia Catholica. Comperi enim ab ea credi:

Pontificem Romanum eſſe Caput totius Eccleſiæ, & Petri Apoſtoli legitimum ſucceſſorem.

Petrum eſſe Principem Apoſtolorum, Romæ Sedem habuiſſe, & ibidem Martyrio coronatum fuiſſe.

Miſſam eſſe verum ſacrificium incruentum, & propitiatorium.

Panem, & vinum in conſecratione mutari in verum corpus, & ſanguinem Chriſti.

In ſumma veneratione traditiones Apoſtolorum habendas.

Beatæ MARIÆ Virgini, Sanctiſque omnibus cultum exhibendum eſſe.

Exequias, & orationes pro fidelibus defunctis facere eſſe Apoſtolorum inſtitutum, & à fidelibus faciendas.

Aliaque multa quæ Romana Eccleſia, & docet, & ſequitur; prout clarè ea omnia in Annotationibus ad hunc librum Synodorum, ſuo quæque loco à me demonſtrabuntur. Proindeque non dubitavi Hæreſin Luthe-

ranorum ſtatim Romæ abjurare, & pro gloria Dei, ſanctæque Matris Eccleſiæ defenſione calamum arripere, hunc librum interpretari, & notis illuſtrare, quò tandem univerſo orbi conſtet, quàm inane ſit Hæreticorum ad Orientales Eccleſias perfugium.

Quod ad hiſtoriam hujus libri Synodorum attinet, ſcriptus is erat in Æthiopia, in Monaſterio Alleluja, tempore Abbatis Bebnudæ, prout in fine notatum erat. Poſtmodùm miſſus fuit à Rege Æthiopiæ ZERA JACOBO Hieroſolymam, ad Monachos ſuæ nationis; tandem Romam delatus eſt à quodam Monacho Æthiope, Monaſterij Gubaë, *Habte Marjam* vocato, ante annos circiter viginti-quinque, ibique modò aſſervatur in Hoſpitio Abiſſinorum.

II.

EST MAGNA PARS VETERIS TESTAMENTI ÆTHIOPICI, videlicet: Quinque Libri Moyſis, Liber Joſuæ, Judicum, Ruth, & quatuor libri Regum; qui omnes hactenus nunquam ſunt editi, neque in Bibliis Polyglottis Anglorum leguntur.

Eſſe porrò hanc Æthiopicam Bibliorum verſionem antiquiſſimam, & S. Athanaſio ſupparem, teſtatur Martyrologium quoddam Æthiopicum, Manuſcriptum, quod aſſervatur in Bibliotheca Excellentiſſimi D. D. Petri SEGUIER, Franciæ Cancellarij, aſſerens eam eſſe factam ab Abbate *Seláma*, Abiſſinorum Apoſtolo, quem iidem Abiſſini alio nomine etiam *Fremonatos*, & Martyrologium Romanum *Frumentium* appellat, minùs verò rectè in Indiam amandatum dicit, cùm in Æthiopiam à S. Athanaſio Epiſcopus miſſus fuerit; teſtibus Abiſſinorum Traditione, & duobus Martyrologiis

quæ penes me habeo : prout fusiùs de hoc agitur in Historia Æthiopiæ, quam brevi, Deo volente, in lucem dabo.

III.

Est Dictionarium Æthiopicum Hiobi Ludolfi, I. C. & Consiliarij Ducis Saxo-Gotani, à decem annis à me Londini in 4°. editum, (cui etiam Appendicem addidi) cum Grammatica, & Confessione fidei Claudij Regis Æthiopiæ. Jam verò correctum, & à me auctum, ex quamplurimis Manuscriptis Æthiopicis, quæ in variis Librariis, in meis peregrinationibus inveni, & examinavi.

IV.

Est Codex Liturgiarum Æthiopicarum, quem in Anglia exscripsi, in domo D. Edmundi Castelli, Autoris Lexici Heptaglotti. Suntque in eo sequentes Liturgiæ:

1. S. Joannis Evangelistæ, & Apostoli.
2. CCCXVIII. Patrum Orthodoxorum Concilij Nicæni.
3. S. Epiphanij Orthodoxi.
4. S. Jacobi.
5. S. Joannis Chrysostomi.
6. Quæ Domino nostro Jesu-Christo adscribitur.
7. Sanctorum Apostolorum.
8. S. Cyriaci, Episcopi Urbis Behnese Ægypti.
9. Cujusdam S. Gregorij.
10. Dioscori Patriarchæ Alexandrini.

V.

Est Relatio præsentis Status Ægypti, quæ modò Italico idiomate excuditur.

VI.

Est Historia Æthiopiæ, itidem lingua Italica conſcripta.

VII.

Est Dissertatio, De linguæ Æthiopicæ neceſſitate, & utilitate: In qua oſtenditur quando, & quo pacto hæc lingua in Europam introducta ſit; quoſnam cultores, & Mecœnates invenerit; & quinam libri in dicta lingua apud me, & in aliis Europæ Bibliothecis inveniantur. Cui præmittitur Diſcurſus de Religionis Chriſtianæ ortu in Abiſſinia; ejuſdem incremento, mutationibus, & præſente facie.

Cùm ergo, Illustrissime Domine, hæc Opera omnia rem Eccleſiaſticam non ſolùm plurimùm illuſtrare, ſed & ea ſint ex quibus multa argumenta pro defenſione Eccleſiæ Catholicæ, & pro evincendo conſenſu Eccleſiarum Orientalium cum Romana, deſumi poſſint; à quamplurimis præterea doctiſſimis viris omnium ferè Nationum diu multumque hactenus deſiderata fuerint: operæpretium duxi, Tibi eorundem ſpecimen exhibere, Teque ſimul hortari, vt ad cætera Tua præclara facta, quæ pro Christianissimi Galliarum Regis Gloria toto orbe amplianda, feliciter hactenus peregiſti; hoc quoque addere, Operumque tam inſignium publicationem promovere digneris: ne dum inclyta Galliarum Natio, omnibus vicinis Gentibus gloriæ palmam Heroïcis factis, & præclaris ſtudiis præripit; in hoc ſolo, quod nondum Typographiam Æthiopicam habeat, etiam ſibi longè inferioribus gloriâ cedere videatur.

PARISIIS,
E' TYPOGRAPHIA REGIA,
CURANTE
SEBASTIANO MABRE-CRAMOISY,
ejuſdem Typographiæ Directore.

M. DC. LXXI.

